Digitized by Google

 tt 21

EXTRACTUM
EX EPILOGO
DAMNATI OPERIS
CORNELII JANSENII,
CUI TITULUS
AUGUSTINUS,

In quo JANSENIUS *ſic loquitur*.

BIBLIOTEC: NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxta meam, ſed juxta Sancti Doctoris (*Auguſtini*) mentem pronunciavi, ex Apoſtolicæ Sedis Eccleſiæque Romanæ Matris meæ judicio, ſententiàque ſuſpendo, ut illud jam nunc teneam ſi tenendum, revocem ſi revocandum, dàmnem & anathematizem, ſi damnandum & anathematizandum eſſe judicaverit. Nam quemadmodum iſtius Eccleſiæ ac Sedis myſteriis infantulus initiatus, & ejus fide cum lacte matris imbutus fui, & crevi, & adolevi, & ſenui, nec ab ea ad latum unguem, quod ſciam, animo, aut facto, aut ſermone deflexi;

LXXI
XI : : LXXI

deflexi; ita porrò ad extremum uſque ſpiritum vivere, ac Deo adjuvante mori, Divinoque judicio ſiſti, mihi conſtitutum eſt; ut juxta ſacratiſſimam ejus Regulam, quæ à temporibus Apoſtolorum per ſucceſſionem continuam Romanorum Pontificum per univerſum orbem prædicata & credita eſt, referam à Dei miſericordia aut juſtitia bonum aut malum.

EXTRACTUM
EX TESTAMENTO
Perilluſtris ac Reverendiſſimi
DOMINI
CORNELII JANSENII
EPISCOPI IPRENSIS

Ab ipſo dictati vix mediâ horâ ante mortem, prout præfigitur præfato operi ejus damnato.

EGo CORNELIUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus

Digitized by Google

pus Iprenſis de mea libera voluntate do & dono omnia mea ſcripta ad explicationem Sancti Auguſtini ſpectantia Capellano meo Reginaldo Lameo, partim quia magno labore ea ſcripſit vel dictavit, partim quia ſine originali, copia corrigi non poteſt. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum Doctiſſimis Viris Magnifico Domino Liberto Fromondo, & Reverendo Domino Henrico Caleno Canonico Mechlinienſi conferat, & diſponat de editione quàm fideliſſimè. Sentio enim aliquid difficulter mutari poſſe. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obediens filius, & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi uſque ad hunc lectum mortis, obediens ſum. Ita mea poſtrema voluntas eſt. Actum ſexta Maii 1638.

Infraſcriptum erat

CORNELIUS

EPISCOPUS IPRENSIS,

Et Impreſſum Sigillum ejuſdem.

Ita Teſtor. Et erat ſignatum
HENRICUS CALENUS.

EXTRACTUM
EX COMMENTARIIS
CORNELII JANSENII

In Caput 22. Evangelii ſecundùm Lucam, in quibus ad verſ. 32. habet ut ſequitur.

EGO AUTEM ROGAVI PRO TE, peculiariter tamquam pro capite cæterorum, per quem reliquos ad ſalutem adducere decrevi : UT NON DEFICIAT, id eſt, non penitus eradicetur, & extinguatur FIDES TUA. Nam quamvis cribrandus & concutiendus eſſet uſque ad negationem Chriſti, quam ore fecit, fidem tamen internam, quà ad juſtitiam corde creditur, non amiſit : ſicut arbor folia vi tempeſtatis abjicit, non tamen vitam in radice permanentem, ut ſentit Ambroſ. in verſ. 12. Pſal. 43. & explicat Theophyl. Et hoc quidem perſonale fuit Petri privilegium, de quo

Digitized by Google

quo Auguſt. lib. De Corrept. & Gratia cap. 8. Quando, inquit, rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Sed quia confirmare fratres, quod ſequitur, ad officium Paſtoris pertinet, & proinde perpetuum eſſe debet: hinc juxta ſenſum antiquorum impetravit ei & aliud privilegium, ad Succeſſores propagandum, ut videlicet tamquam caput Eccleſiæ numquam, nec ipſe, nec Succeſſores ejus in docenda vera fide deficerent, juxta illud Leonis Serm. 3. De aſſumptione ſua ad Pontificatum, In Petro omnium fortitudo munitur: & illud Bernardi Epiſt. 190. ad Innoc. Dignum arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum eſt aliquando, EGO ROGAVI PRO TE, &c. ET TU ALIQUANDO CONVERSUS, à peccato negationis tuæ, inquit Theophyl. Quamquam alius percommodus poſſit eſſe ſenſus, ut illud, *aliquando*, jungatur cum,

CON-

CONFIRMA FRATRES TUOS, & illud, *converſus*, non ſignificet converſionem ad pœnitentiam, ſed ad eos, quos confirmaturus erat, hoc ſenſu: Et tu aliquando, cùm opus fuerit, & aliquos in fide nutantes videris, ad eos converſus, confirma illos: quomodo dicitur Pſal. 84. v. 7. *Deus tu converſus*, ſcilicet ad nos, *vivificabis nos.* Cum autem Petrus, audiens ſe cribrandum, & in fide periclitaturum, animoſiùs de ſe multa promitteret, negationem ſui Chriſtus ei prædixit, & mox conditiones inſtantis temporis clariùs explicans, dixit omnibus Diſcipulis.

BIBLIOTEC. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google